



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 24. Iter frustra tentatur ad Chaquensem provinciam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

CAPUT  
XXIV.  
Iter frustra-  
tur ad Cha-  
quensem  
Provin-  
ciam.

*Joannes Frã-  
cisus Oloris  
moritur.*

*Ignatius Me-  
dina in opus  
intendit.*

*Mataguia  
conclantur.*

**I**N Collegio Sancti Michaelis apud Tacumanos, relicto tantum Sociis sui desi- derio, nam cætera pauperrimus erat, fato præcoei ex mera caritate orto sublatus est Joannes Franciscus Oloris, profapia nobilis, patria Navarrus, religione insignis, promissarum imprimis virtutum cultor, tam putus & albus, quam nomen gentili- tum. Animarum lucro indefinenter inhaviit. Ingarum linguam calluit, Tono- cotanam missionis Chaquenensis candidatus discebat: nam Socii sub idem tempus in Chaquensem provinciam intenti, magno ardore ad Apostolicos labores aspira- bant. Ad quam provinciam ex propinquo explorandam, Ignatius Medina, Provincialis missu, Omaguacam contendit: unde Laurentium quemdam Indum, rerum agendarum satis peritum, tentatum misit Mataguacum animos, per quorum terras brevissimus erat in Chaquensem provinciam transitus. Porro Mataguacæ quatuor oppida habitant, quibus præfunt totidem Casiquii æquali ferme potestate. Eorum nobilissimo Laurentius muneribus Ignatii Medinæ nomine oblatis, expli- catisque adventus sui causis, effecit, ut vicinorum Casiquiorum conventus habe- retur, in quo post varios utrimque jactos sermones, nemine reluctante, decretum est, non tantum Sociorum Jesu adventum æqui bonique consulendum, sed etiam procurandum; & ut id commodissime fieret, viæ compendium querendum esse, iterque Omaguacense communibus operis explanandum; rediret itaque Lau- rentius, & Ignatio Medinæ referret, dona & postulata Mataguacis fuisse acceptissi- ma, & ipsius adventum fore longè gratiorem; expectaret tantummodò dum sese peregrinæ aquæ in alveum recepissent, tum enim missurum se Omaguacam viarum duces, & comæatum; si Pater ferramenta secum adferret, rem gratam utilemque genti facturum. Sparso in vulgus Casiquiorum decreto, tanto plebs omnis exillit gaudio, ut quaquâ incederet, gratulationis ergò, Laurentio occurrerent. Anus, puellæque, hæ pudori conservando, illæ frigori pellendo, ut Patres vestiarias lar- gitiones procurarent, postulabant. Denique proclivia omnia ad rem bene ge- rendam videbantur: sed ea res ultra spem non progressa est; nam operariis ad hanc simul & Calchaquinorum provinciam capessendam non sufficientibus, Provincialis adhibito seniorum Patrum consilio, revocato Ignatio Medinâ, decrevit Calcha- quinorum missionem continuandam, & Chaquensem omittendam, quousque Ge- neralis Præpositus mitteret gentem novam in novam messem.

*Expeditio  
disturbatur.*

CAPUT  
XXV.  
Apud Cal-  
chaquinos  
multa sunt  
memoratu  
digna.

*Pueri cor-  
rumpuntur.*

*Christiano-  
rum nomina  
dolorè impo-  
sita.*

*Sociorum  
constantia.*

*Utimba.*

*Cumbicha.*

**A**PUD Calchaquinos dæmon infensos Barbarorum animos in rem Christianam conservare satagebat, incolarum senioribus, quorum nutus apud juniores imperium est, generis humani hosti obstinatè applaudentibus. Gens omnis, præ- ter avitas superstitiones, nihil studiosè obit: pueri, qui ad speciem pii probique sunt, ubi primum se ad suos ex nostra disciplina receperint, ne umbrâ quidem probitatis reservatâ, ad perversos parentum suorum mores descedunt; adeò verum est, cum bono bonus eris, & cum perverso perverteris. Magnates, ne linguam suam di- scant Socii, omni ope contendunt. Dæmon sacra profanis miscere assuetus, ut Christianorum nomina infidelium prolibus recentis sine Sacramento impone- rentur, efficiebat, ut cum adolevisset ignoraretur, utrum ritu Christiano nomen accepissent. Quæ omnia quamvis spem videantur adimere gentis aliquando con- vertendæ, tamen Apostolici viri considerantes Fidei propagationem humanâ æsti- matione perpendi non debere, & ferè nunquam sine ingenti labore constantiaque peragi: spe projectâ in eum, qui dat verbum Evangelizantibus virtute multa, læti & alacres per hæc deserta loca euntes, mittere pergebant semina sua, fructum datura in tempore suo. Ferdinandus Torreblanca Hualfinam Calchaquinis vici- nam vallem, & oppidula Saltensi ditioni subditâ lustrans, vix ullum reportavit operæ pretium, ob gentis perversitatem, inverecundis moribus & superstitioni pestina- citer inhærentis. Permissè tamen Barbari in suis terris Cruces erigi, sacella exci- tati, Sacraque coram se fieri. Petrus Patricius Utimbæ potentissimi Casiquii terras adiens, non pauca benevolentia pignora recepit; nam ipsemet Utimba iter facienti, honoris ergò, obstacula viarum amovit, uxoris & filiorum alloquium permisit, & in ædícula abs se antè condita, demptis crinium redimiculis, Sacra facienti interfuit.

Cumbicha,